

# REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO BES/  
saroni, Episcopo Tusculano, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali, pa/  
triarchæ Constantinopolitano, Ioannes de Regio  
monte se offert deuotissimum.



Admiranti mihi sæpè numero, uel potius grauius & inique  
ferenti, tam raros esse ætate nostra optimarum disciplinarum  
non modo præceptores, uerum etiam studiosos, satis com-  
pertum uidetur deprauata potius hominum natura id fieri,  
quod ad uitia procliues, uirtutem ac bonas artes pro nihilo ha-  
beant, quam quod rerum ipsarum difficultas eos absterre-  
at. Siquidem maiores nostri uel ab his quæ iam inuenta erant tradendis, uel ab  
inueniendis nouis nulla unquam sunt difficultate perterriti, quia, scilicet, magno  
semper studio elaborauerunt, ut posteritatem non tam auro atque opibus, quam  
uirtute & bonis artibus redderent locupletem. Nondum enim ambitio & ce-  
teræ cupiditates, hominum ingenia inficere ac labefactare cœperant. Sola uir-  
tus in precio erat. Sua cuique satis placebant, Nullus extrinsecus honor quere-  
batur. Vbi uero paulatim cupido habendi mortalium animis irrepsit, defluere  
bonas artes atque absistere uirtutes necesse fuit. Hinc nihil præter aurum suaue  
creditum est, discipline probro habite sunt. Eoque postremo deuentum est mi-  
serie, ut non modo promendis nouis artibus operam non nauemus, sed potius  
quo impunius errare liceat, inuentas olim ac traditas per seueritatem atque igna-  
uiam uel somnolenti prætereamus. Hæc igitur causa est, cur pauci ætate no-  
stra docti sint, cur pauci studiosi, cur iaceant studia bonarum artium, & quasi se-  
pulte emergere ac suscitari non possint. Fieri tum inter impotest, ut difficulta-  
te rei discendæ homines perterreantur, nec tamen deesse debet ueniæ locus.  
Sunt enim nonnullarum disciplinarum aditus supra modum difficiles atque ardui,  
qualis est eius discipline quæ astrorum peritiam pollicetur, tum propter ma-  
gnitudinem atque excellentiam rerum in quibus uersatur, tum propter scabrosita-  
tem librorum, qui ex peregrinis linguis in latinum conuersi, incredibile dictum  
est, quantam præ se difficultatem ferant, nam & latini editi pauci admodum ex-  
tant. Habet profecto præstans hæc atque insignis disciplina excellentem quan-  
dam

A dam